

Dumque iaceret ibi supplex dominumque rogaret,
 Mens subit abbati, quod eum non inde gravaret.
 Cumque precaretur loculo recubando secreto,
 Saccellum posuit abbas cum polline retro
 Orantis talos, non visus, et inde redivit.
 Completis precibus surgens prior hunc reperivit.
 Tunc prior ad domnum Walterum pergīt et inquit:
 'Terreor, erubeo, ratio me pene relinquit,
 Me timor abbatis affligit, qui reperit me
 Implentem saccum pistrino flore farine.
 Hunc ad vicinam languenti mittere villam
 Dum studiosus eram, subit abbas, vidit et illam,
 Sed vos orate pro nostra pace beate'.
 Tunc senior sanctus subrisit et hec sibi dixit:
 'Sitis securus, non vos res ista gravabit,
 Nec timeatis ob hoc, nichil abbas inde loquetur.
 Ut vos conturbet, deus illi non paciētur,
 Nam tria supra vos descendere lumina vidi,
 Cum vos orastis hac pro re corde fideli.
 Vos non vidistis, sed ego tria lumina clara,
 Que descenderunt supra vos in precis hora'.

Quomodo dabat nummos pauperibus in tempore
 famis¹⁾.

Temporibus prior iste famis nummos tribuebat
 Pauperibus miseris, quos pene perire sciebat.
 Quod tamen occulte faciebat, non manifeste,
 Tutius esse putans dare cautius et sine teste;
 Domnus Alexander erat abbas, quem metuebat,
 Conventus oculos eciam vitare decebat.
 Denarios igitur tres insimul ipse ligabat
 Inque sinu proprio nodos sub veste locabat,
 Quatuor aut quinque nodi quandoque fuere
 Aut plures, si plus de nummis posset habere;
 Cumque laborare conventum duceret extra,
 Accurrebat ad hunc miserorum magna caterva.
 Tunc velut iratus vel habens in mente furorem,
 Exterrebat eos conventus propter honorem.
 Conventu post hec operante, redibat ad illos,
 Se simulans veluti vellet lapidare pusillos,
 Curvans se terre, tamquam lapidem rapuisset,
 Nodum pro lapide iactabat, cui voluisset.
 Sic alios aliis nodos prior eiciebat,
 Donec ei nodus aut nummus non remanebat.
 Quidam de monachis hoc advertere frequenter,
 Sed plures alios latuit res acta latenter.

1) V. 477—498.